



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Plurimorum error qui ... femoralia vel tibialia volunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

plateas, & barbæ Mantilo, aut
quid simile ei. Nathan Justus in
Lexico juris Hebraici laudat docto-
res Babylonios, qui affirmant
fuisse vestem quandam superiorem,
quam *Talith* nuncupant, id est
togam aut *pallium*. Aben Ezra quo-
que vestem superiorem scribit ab
obtegendo dictam, quæ nulla alia
est quam toga vel pallium. Hanc
sententiam sequuntur recentiores
Iudæi, apud quos *Sarabara*, ut
Elias ait, in vulgari usu est pro
pallio. Nos vocamus, inquit, למלבוש
העליון vestem superiorem סרבל *Sarbel*,
quæ in lingua Germanica & Italica
vocatur מנטיל *mantil*. Qua signifi-
catione & apud Thalmudicos le-
gitur. Quin vestem superiorem
esse, quæ totum corpus tegebat,
confirmat vocis hujus origo. סרבל
est à סרבל quod Chaldæis non modo
verum etiam Arabibus est *tegere*,
operire, unde optime סרבלין vesti-
mentum exterius dicitur, quod
corpus hominis obtegit, quomodo
toga à *tegendo* Romanis est appel-
lata. Quare ego omnino non du-
bito quin סרבלין non quidem sint
aut *togæ*, aut *pallia*, qualis nempe
toga

Elias in
Thilbi.

Talm. in
Sanhedrin
& Scheb-
huoth.

toga fuit Romanis, aut pallium Græcis, aut qualibus nos hodie utimur, sed *σαράβαρα*, uti hanc vocem reddidit Theodotion, hoc est, vestis fluxa & talaris, quales stolæ matronarum, quomodo & Aquila habuit *σαράβαλα*, uti Hieronymus est auctor, qui ita legi etiam postulat. Quod tamen non est necesse. *Σαράβαρα* enim æque ut *σαράβαλα* rectum est, cum has literas R. & L. facillime permutari sit notissimum, uti jam dudum plurimis exemplis eruditi homines ostenderunt. Equidem scio aliter *σαράβαρα* à Suida atque Hesychio explicari. Suidas enim *σαράβαρα* ἰσθὴν περσικὴν vestem Persicam facit, quam ἔνιοι λέγουσι βράκια quam nonnulli braccas vocant, & Hesychius Sarabara vult esse *πρὸς τὰς κνημίδας* (vel ut alii cum Stephano legunt *κνήμας*) ἐνδύματα, hoc est *crurum indumenta*, quomodo & alibi habet: *Σκέλια τὰ τῶν σκελῶν σκεπτάματα, πιεθοὶ σαράβαρα*. Etiam non latet mihi exponere Scholia Græca: *πὲς σαράβαρα εἰρήκισι τὰ μὲν παρὰ τῶν ποικῶν λεγόμενα Μάκια, παρὰ ἃ τοῖς Ἑλλησιν ἀναξυρίδες πρὸς σαργρενόματα,*